

v. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. * Quia. Gloria. * Quia.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evangel. Sint lumbi vestri, ut in Comuni Confessoris non Pontificis.

Vesp. à Capitulo de S. Venantio.

DIE XXV. MAII.

In Festo S. GREGORII VII.

Papæ & Conf.—Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris Pontificis, præter sequentia.

ORATIO.

DEUS in te sperantium fortitudo, qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem, pro tuendâ Ecclesiæ libertate, virtute constantiæ roborasti: da nobis, ejus exemplo & intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum.

Deindè fit Commem. S. Urbani Papæ & Martyris.

Ant. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, & æternitas temporum, alleluia.

v. Sancti & Justi in Domino gaudete, alleluia.—*r.* Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia.

Oratio.

DA, quæsumus, Omnipotens Deus: ut qui Beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno, Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GREGORIUS Papa septimus, antea Hildebrandus, Suanæ in Etruriâ natus, doctrinâ, sanctitate omnique virtutum genere cumprimis nobilis, mirificè univer-

sam Dei illustravit Ecclesiam. Cùm parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi, dominabitur à mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine; quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deindè profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementiùs dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regulâ Sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigeat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ majestati deserviebat, ut à sanctis ejusdem cænobii patribus Prior sit electus. Sed divinâ Providentiâ majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo & Alexandro secundo, præcipuis muneribus & legationibus perfunctus est: sanctissimi & purissimi consilii vir à Victore Papâ secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniacâ labe infectum ad sui criminis confessionem miracillo adegit. Berengarium in Concilio Tironensi ad iteratam hæresis abjuratorem compulit. Cadolai quoque schisma suâ virtute compressit.

r. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia.